

T. Liiij Conciones

estate absumpsistis: quibus dies noctesq; fugientibus, per hos dies institistis: quos leuibus praelijs fugastis: quos hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea quibus gloriari potestis: & cuius ipsius pudere ac poenitere vos oportet, referam. Nempe a quibus manibus hesterno die diremistis pugnam. Quid haec nox, quid haec dies abstulit? Vestrae his copiae imminutae sunt: an illorum auctae? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus: corpora tantum atq; arma eadem sunt. An si eosdem animos habuissetis, terga vestra videret hostis? signa alicui manipulo aut cohorti abstulisset? Non adhuc caesis Romanis legionibus gloriabatur: vos illi hesterno die primū fugati exercitus dedistis decus.

Annibalis ad suos verba. CXXIX.

**C**VM eo nimirum hoste res est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.

EX VIII. SECVNDI

Belli Punici, qui. XXVIII.

P. Scipionis ad milites Concio. cxxx.

**N**Vnquam mihi defuturam orationē, qua exercitum meum alloquerer, credidi: nō quod verba vnquam potius, quā res exercuerim, sed quia prope a pueritia in castris habitus, assueuerā militaribus ingenijs. Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scito: Ciues? qui a patria vestra desciuistis? An milites? qui imperium auspiciūq; abnu-

Ex. XXVIII. ab Vrbe condita: 65

abnuistis, sacramēti religionem rupistis: Hostes corpora, ora, vestitū, habitum ciuū agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod Illergetes & Lacetani, aut optastis aliud, aut sperastis: Et illi tamē Mādoniū atq; Indibilē regiae nobilitatis viros duces furoris sequuti sunt: vos auspiciū & imperiū ad Vmbriū Actū & Calenum Albium detulistis. Negate vos id omnes fecisse, aut factū voluisse, milites: paucorū eum furorem atq; amentiam esse libenter credam negantibus. Nec enim ea sunt commissa, quae vulgata in omnē exercitū sine piaculis ingētib; expiari possunt. Inuitus ea tanq; vulnera attingo: sed nisi caetera tractataq; sanari nō possunt. Equidē pulsus Hispania Carthaginensibus, nullū locū tota prouincia, nullos homines credebā esse, vbi vita inuisa esset mea: sic me nō solū aduersus socios gesserā, sed etiam aduersus hostes. In castris meis (heu quantum me opinio fefellit) fama mortis meae nō accepta solū, sed etiā expectata est: nō quod ego vulgari facinus per omnes velim: (Equidē si totū exercitum meum mortē mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer, nec me vita iuaret inuisa ciuib; & militibus meis) sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est: vt venti & aurae cident, ita aut tranquillum, aut procellae in vobis sunt: & causa atq; origo omnis furoris penes autores est: vos contagione insanistis. Quin mihi ne hodie quidē scire videmini, quō amentiae progressistis: quid facinoris in me, quid in patriā, parētesq; ac liberos vestros, quid in Deos sacramēti testes, quid aduersus auspicia, sub quibus militatis, quid aduersus morē militiae, disciplināq; maiorū, quid aduersus summi imperij maiestatem ausi sitis. De

K

meip

Multitudinis natura





M

829





